

Xa  
4493





MEMORIAM  
 SERENISSIMÆ PRINCIPIS AC DOMINÆ,  
 DOMINÆ  
**ANNÆ MARIÆ,**  
 DUCIS SAXONIÆ, JULII, CLI-  
 VIÆ AC MONTIUM, LANDGRAVIÆ THURIN-  
 GIÆ, MARCHIONIS MISNIÆ, NEC NON SU-  
 PERIORIS ET INFERIORIS LUSATIÆ, COMITIS  
 IN MARCA, RAVENSBURGO ET BARBY,  
 DOMINÆ RAVENSTEINI,  
 PRINCIPIS JUVENTUTIS  
 OB DIVAS  
 GLORIOSISSIMORUM MAJORUM  
 IMAGINES  
 ANGELICAM VITÆ PURITATEM  
 DIVINAM IN MORTE VIRTUTEM  
 ÆTERNITATI  
 CONSECRATURUS  
 AD  
 ORATIONIS PARENTALIS  
 XIIII. CAL. MAJI  
 HABENDÆ  
 AUSCULTATIONEM  
 QUOTQVOT PRINCIPIS AUGUSTI AUGUSTÆQ;  
 PROSAPIÆ SERENITAS HIC LOCORUM COLLU-  
 STRAT OBSERVANTER ET OFFICIOSE  
 INVITAT  
 ILLUSTRIS AD SALAM AUGUSTEI  
 RECTOR.





MEMORIAM  
SERVAVIT PRINCIPIS AC DOMINI  
DOMINE  
ANNE MARIE  
DUCIS SAXONIAE JULIAE  
VIRI AC MORTUUM SANDRAVIT  
GIA MARCIONIS MURNA NUC NON  
TERTIUM TITULUM LIBERUM COMITIS  
IN MARCHAVIA IN TITULO HARRY  
DOMINE RAVENTINII  
ET INCIPIT INVENTUS  
OR DIVAS  
GEOLOGIA MAIORUM  
IMAGINE  
ACTUCAD VITAE PURITATE  
DIVINAM IN MORTE VITAM  
ETERNITATE  
CONSPICITUR  
AT  
OXANTONIS PARTIALI  
H. BEND  
ANSCUTATIONEM  
OXANTONIS PRINCIPIS AUGUSTI AUGUSTI  
TITULI PRINCIPIS HIC LOCUM COLLE  
B. ANSCUTATIONEM ET DEHORS  
IMVIT  
HILSTRADAM VITAM  
RECTOR





I. N. J.



## E immortalitate ani-

ma, & statu ejus post mortem cum plurimum semper disceptatum fuerit inter Philosophos, neminem facile repertum iri puto, qui non pro eâ, quæ cupidine sciendi & amore in semetipsum naturaliter flagrat, materiæ sublimis istius & dignissimæ certitudinem animo concipere maximè gestiat. Et quidem quamvis magna Philosophorum caterva, ut probet immortalitatem, argumenta undiqve collecta coarctet, & potissimum à Spiritualitate, quæ ex operationibus, quarum nonnullæ in nobis neque ex materia constantes, neque à materia subjectivè dependentes, sed in immaterialibus, universalibus & æternis cognoscendis, absque organo sint, haud obscure posse duci putent: probent ulterius etiam, quod anima sit substantia simplex, invisibilis, Deo simillima: quod affectet æternitatem appetitu quodam naturæ, quem frustra illi ingenitum esse, verisimile non sit: Contempletur æternas essentias, cum tamen nihil assurgere possit ad contemplationem ejus, à quo toto genere essendi discrepet: Habeat insitum discrimen honestorum & turpium, ex quo colligat hanc regulam, quod bonis debeat esse benè, malis malè; Jam verò in hac vita boni sæpiùs non accipiant sua præmia, nec mali promeritas pœnas, ergò futuram esse aliam vitam, ad quam immortalis anima adspiret, aliàs discrimen illud frustra esset menti insitum: Quod homines malè sibi ob scelera conscii metum sentiant, ubi, nisi anima post mortem esset superstes, nihil causæ haberent malè sibi conscii, cur de futuris pœnis formidarent. Denique urgeant consensum saniorum Philosophorum, qui arguant, esse has notiones quasdam ab omnibus concessas. Ita enim Tertullianus de Resurr.

Carnis c. 3. *Quædam & natura nota sunt, ut immortalitas anime pe-*

A 2

nes



*nos plures.* Et Ovidius canit: *Morte carent anima.* Confe-  
 ratur Plato in Gorgia, & Phædro; Cicero, &c. Philippus  
 tamen Melanch. in explic. Evang. Hom. de die Pasch. *Philosophiam*  
*aliquid augurari dicit, & habere conjecturam aliquam de immortalitate*  
*quantulamcunq̄ue.* Petrus Martyr verò Class. 3. Locorum c.  
 15, numero 16. *Animam esse immortalem, naturæ lumini perquam ob-*  
*scurum est, quia nobiles Philosophi non pauci longè diversum fuere opi-*  
*nati.* Quin & ipsi Aristoteli à Terrulliano & Nazianzeno  
 adscribitur, quod animam hominis mortalem esse censuerit.  
 Et Alexander Aphrodisæus Peripateticus haut obscurus i-  
 dem sensisse videtur. Patet etiam illud ipsum ex loco Ci-  
 cer. Lib. 1. Tuscul. Quæst. Ibi enim Atticus ita introducit  
 loquens: *Delectat me illa sententia, posse animas, cum à corpore exces-*  
*serint, in cælum quasi domicilium suum pervenire; idque primum ita esse,*  
*deinde etiamsi non sit, mihi persuaderi velim.* R. Marcus: Num  
 ergò eloquentiâ Platonem superare possumus? *evolve diligenter ejus li-*  
*brum, qui est de anima, amplius quod desideres, nihil erit.* Sub-  
 jicit Atticus: *Feci mehercule & quidem sapius, sed nescio quomodo,*  
*dum legi, assensior, cum posui librum, & mecum ipse de immortalitate*  
*animarum cæpi cogitare, assensio omnis illa elabitur.* Hinc propter  
 fluctuationem in hac sententia, consolationem super mor-  
 tem conditionaliter & dubiè ponit: *Si superstes, inq̄uens, ma-*  
*net anima pereunte corpore & æternum vivit, tunc nihil optabilius est*  
*morte, qua ex hujus vita miseris in æternam vitam, qua sola vita no-*  
*minanda est, & in eas oras, quas qui beati sunt, incolunt, transferi-*  
*mur, ubi vel Dii ipsi, vel cum Diis futuri sumus, quod non modo non*  
*miserum est, sed summum etiam bonum.* Sin prorsus, *extinguitur &*  
*deletur, &c.* Platonem verò firmiora & certiora hac in re  
 statuisse mirum non est, cum ille plura fando à Judæis & Æ-  
 gyptiis acceperit & suo vitulo vix ararit. Interim & Se-  
 neca in Consolatione ad Martiam expositis præcipuis conso-  
 lationum Philosophicarum fontibus brevi Epiphonemate cun-  
 cta complexus, dubiè tamen & sub conditione ita exclamat.  
*O ignaros malorum suorum, quibus non mors ut optimum inventum Na-*  
*nuræ laudatur, que sive felicitatem includit, sive calamitatem repellit,*  
*sive satietatem & lassitudinem senis terminat, sive juvenile ævum, dum*  
*meliora sperantur, in flore deducit, sive pueritiam ante duriores gradus*  
*revocat, omnibus finis, multis remedium, quibusdam votum, de nullis*  
*melius merita quam de iis, ad quos venit, antequam invocaretur.* Quid  
 autem post mortem animæ superstites agant, inter eos minus con-  
 venit; Mox enim unus excogitavit *μετεμψύχωσιν*; alius campos  
 Elysios; alius fluvios infernales; alii sepulchra & spectra; alii  
 moveri ab animabus Orbes Cœlestes, Stellas & Planetas; alii  
 somnia-



fomniarunt alia. Heroum tamen animis jaētantius tribuisse Ethnicos & immortalitatem & cœlestem felicitatem plurimorum constat cūm Scriptis tūm institutis. Plato enim existimat, excellentes & Heroicas animas tanq̄vam puriores sursum evadere, cæteras verò ignavas & voluptatibus corporum contaminatas humi vagari circa sepulchra; & has judicat esse spectra, quæ aliquando cernuntur. Pythagoras animas fortium virorum migrare in corpora alia & Heroas efficere. Et quomodum Heroas & Imperatores à Diis ortos; ita ad Deos & in Deos post mortem conversos haut obscure prodidere. Cicero de Imperatore Augusto Epistola quapiam: *Ego, inquit, Remp. fefelli: Ego ipse Senatum sibi manus afferre coēgi, cūm Te Junonium puerum, & matris tue partum aureum esse dixi. At te fata patriæ Paridem futurum predicabant, qui vastares urbem incendio, Italiam bello qui castra in templis Deorum, Senatum in castris habiturus esses: ut ex Vell. Paterculo Lib. 2. Hist. retulit Stephan. Forcatulus Lib. 1. de Gall. Imper. Augustum verò Cicero Junonium puerum dixit, tanq̄vam Junone natum. Ita ad effigiem Augusti inter Deos relati manus tendebant Romani, teste Tac. 1. Ann. c. 11. Effigiem Divi Augusti amplecti, populumq̄ve ac Senatum auxilio vocare Id. 4. Ann. c. 67. Ita & Ann. 15. c. ult. Cerealem Anicium Consulem designatum pro sententia dixisse, ut templum Divo Neroni quam maturrimè publicā pecuniā poneretur. Quod quidem ille decernebat, tanq̄vam mortale fastigium egresso, & venerationem merito. Nam Deūm honor Principi non ante habetur; quàm agere inter homines desierit. Ita & Popææ, cui fæminæ cuncta alia fuere præter honestum animum; quippe mater ejus ætatis omnes fæminas pulchritudine supergressa gloriam pariter & formam dederat, Deūm honores decernebantur. 16. Ann. c. 21. Sed hoc omne, vel foeda ex adulatione, vel status aliqua ratione, rarò ob singulares virtutes & Heroica facinora institutum ita & peractum esse constat. Impudentissima enim & nequaquam ferenda fuit illa monstri hominum C. Caligulæ Divinitatis affectatio, qui præterquam, quod ægerrimè tulit, quod Juvenis Augustus acclamaretur; non fortunas suas laudari, inquit, quod Juvenis id Imperium obtineret, sed reprehendi se, qui eâ ætate tantum Principatum gereret. Contra non tantum Deūm se vocari passus est, sed & cum Luna se coire, & à Victoria coronatum esse videri voluit: Mox Jovem se fingebat, sæpè Juno, Diana Venusq̄ve fiebat, mutato cum nomine etiam omni habitu, ut est apud Dionem Lib. 59. Hist. Rom. A quo & hoc relatum video, quod adstante aliquando Vitellio, cum jaētaret Caligula, se cum Luna coire, & amplexibus*

A;

bus



bus ejus frui, interrogaretque Vitellium, an Deam secum coeun-  
tem videret? Ille non minus adulatorie, quam festive respondit:  
*Minimè Domine: tantummodo enim Vobis Diis licet inter vos videre.*  
Sed & doctissimus Varro utile Regnis & Civitatibus duxit,  
ut proceres Viri fortissimi animi & corporis viribus præcel-  
lentes, se Diis genitos svaderent & crederent: Ut ita humana  
mens Coelestis stirpis fiducia res magnas moliretur & arden-  
tius conficeret. Quò respexisse videtur Plato, dum in Cra-  
tylo censet, Heroas omnes ex Deorum amore erga mulieres,  
vel virorum erga Deas fuisse genitos, & nomen accepisse  
*ἄπο τῶν θεῶν* ab Amore.

Verum enim verò probent Ethnici animæ immortalitatem  
quibuscunq; possunt ratiunculis; fingant statum animarum post  
mortem Heroicarum Diis ipsis conformem, nihil invenit in-  
scriptis & moribus eorum, quod quietam & tranquillam sive  
potius certam reddere possit timidam ac anxiam conscientiam  
homo. Lumine verbi Divini, meritò Christi & Spiritus S. pecu-  
liari gratiâ fidem in hominibus operante hic opus certè est, si-  
ne quibus nihil videmus, nihil scimus, generalibus enim ob-  
scuris & confusis eludimur, nobis tandè ipsis vix satis constam.

Possemus igitur nunc varia pro immortalitate & felicissimo  
B. animarum post mortem statu ex Scripturæ limpidissimis pro-  
ferre fontibus: nisi fide & communi, quæ creditur, & specia-  
li, quæ quilibet fidelis ea apprehendit, firmiter constet, quàm  
quod pluribus deduci operæ pretium nobis videatur. He-  
roarum verò ingentes animæ sicuti speciali fide & virtute à Deo  
ipso eò modò formatae feruntur; ita & firmiter earum dignita-  
tem planè singularem & propè Divinam hinc quis facile evicerit.

Quis enim eos, quos Deus ipse sibi efformavit, quique  
in officio ejus præclare administrando veri Vice-Dii fuerunt,  
inveni hinc in mortalium regimine, gratiâ singulari divinâ  
dignos non aestimet, eorumque facta pro religione, fide, &  
Justitia, ad quam erudiri fecere multos præclara non depræ-  
dicet?

Stat in summo fastigio Heroica Serenissimorum  
Landgraviorum Thuringiæ & Marchionum Misniæ  
Profapia ad tot nunc secula, traductâ Virtute & me-  
ritis Friderici bellicosi, Electorali dignitate & Saxoniae  
Palatinatu in suam familiam, terrori omnibus veræ  
Religionis Hostibus & Anti-Christi defensoribus,  
con-



constans & firma ita, ut ex hac ferè sola in imperio ul-  
lum illecebris suis irretitum se habere Babylonica  
meritrix gloriari non possit. Qvis stirpis hujus Sa-  
xo, dicas rogo, Roma, Papam Idolum tuum venera-  
tur? quem supplicem habuisti? quem non potius  
formidabilem? Quot stratagemata & persecutiones  
contra veram machinatus est Tyrannus & Roma Re-  
ligionem; tot hæc Saxonum Domus Heroas dedit,  
omnia ut fumum disjicientes. Reverendissimum ac  
Serenissimum Augustum, Primatem Germaniæ nobis  
dedit, Patrem Patriæ, Religionis Propugnatorem,  
Ecclesiarum Scholarumque Fundatorem, Optimi  
Principis simulacrum dedit & exemplum. Dedit &  
hic Heros tot Heroës Principes Juventutes, quot fe-  
rè Roma habet colles singulos à lingulis oppugnan-  
dos. Qvis enim est, qui in his Heroici Sangvinis  
Ducibus Majorum suorum vestigiis intentis, non  
magnam enitere virtutem cernat? Quos omnes in  
spem Patriæ, hostium verò terrorem, felices, fortes,  
gloriosos diu Numen æternum Heroici Sangvinis  
Stator præstet benignissimè! Hæc enim est illa ipsa Se-  
renissima Domus, hæc est

Chara Dei Soboles magnum Imperii incrementū.  
Et quò charior Deo, eò in morte etiam beatior; No-  
bis verò luctuosior. Obiit enim haut ita pridem,  
non obiit: morte abrupta; non abrupta, sed Majori-  
bus cœlestib⁹ inserta est ejusmodi florentissima Poten-  
tissimæ Saxonum Stirpis Tradux, Ruta cæsa non obruta,  
nec eruta, sed perpetuò virens in cœlestem transplanta-  
ta est Paradysum Serenissima Princeps ac Domina, Do-  
mina



mina ANNA MARIA, Dux Sax. Jul. Cliv. ac Mont.  
Landgrafia Thuringie, Marchio Misnie, ut & Superioris  
ac inferioris Lusatia, Comes in Marca, Ravensburgo  
& Barby, Domina Ravensteinii, Princeps Juventutis,  
flos Virginitatis, omnis pulchri & decori comple-  
mentum. Dies faustus non faustus XIII. erat Cal.  
Martii Anni Currentis M DC LXXI. Faustus, quod  
ingentem animam reddidit Deo, & Majoribus suis ad  
cœlestia gaudia: Infaustus, quod tantæ Heroinæ, ex  
qua fidei Defensores & Heroes sperabamus multos,  
nobis luctuosum induxerit desiderium. Vixit quam  
diu vixit Heroicè. Mausuleo suo illata Regiè.

Nihil nunc restat, quam ut memoriam Divæ Principis nos æ-  
ternitati devotè consecrem⁹. Igitur Serenissimam Principē dictu-  
ri sumus Divam Heroinam Angelicam non adulatorio Ethni-  
corum, non Politicorum, sed Christianorum more talibus di-  
gnissimam, quod tota ejus Serenissima fuit semper chara Domus  
Supremo Numini, quod aureo imbre cœlitus delapso sacro  
Baptismatis fonte tinctâ Christum Mundi induerit Salvato-  
rem; quod corpore Filii Dei vivi cibata & sanguine potata,  
Deum in se ipsa habens non exuvias sed induvias Dei vivi  
reliquerit. Quod omnia per totam vitam facta habuerit Di-  
vina, Virtutes Divinas, mortem Heroicam. Animam hinc  
ejus inter Heroas relata æternum nunc vivere. Quibus er-  
gò humana sordent, Divina verè bona sunt; quosc. Potentis-  
simæ Saxonum Domus merita devinciunt, quos Serenissimus  
Augustus noster ejusque Augusta Familia hinc locorum Mini-  
stros alit, & subditos; quos Beatissima Princeps, cum in vivis  
erat, virtute & decore Regio in admirationem rapiebat sui;  
eos omnes tantæ Principis Parentationi XIIX. CAL. MAJI  
in Auditorio Illustris Augustei Majori habendæ devovemus,  
P. P. III. Id. April. A. O. R. clb Ibc LXXI.

---

LEUCOPETRÆ,  
Literis HILDEBRANDIANIS,



Pen Xa 4493

40



VD 17

K









MEMORIAM  
SERENISSIMÆ PRINCIPIS AC DOMINÆ,

ANNA  
DUCIS SA  
VIÆ AC MONT  
GIÆ, MARCHIO  
PERIORIS ET IN  
IN MARCA, P  
DOMI  
PRINCI

Æ,  
, CLI-  
THURIN-  
ON SU-  
OMITIS  
BARBY,  
TIS

GLORIOSIS

DRUM

ANGELIC  
DIVINAM

M  
TEM

ORATIO  
XI

IS

AUS  
QVOTQVOT PRI  
PROSAPIÆ SERE  
STRAT OBS

USTÆQ  
COLLU-  
SE

ILLUSTRIS A  
RI

ISTEI

